

Missa privata, et soli cantores in Missa solemnī, respondent pro se et pro astantibus. Græci dicunt *Pax omnibus*, alludendo verbis hymni Angelici, *Pax hominibus bonæ voluntatis*: apud Latinos, episcopi qui diu soli dicebant *Gloria in excelsis*, excepto die Paschatis, et quia personam Christi plenius repræsentant, verbis quibus ipse discipulos pluries salutavit utentes, dicunt *Pax vobis*, quando dixerunt *Gloria in excelsis*; in aliis vero Missis dicunt *Dominus vobiscum*, sicut simplices presbyteri: ita et in cæteris Missæ partibus in quibus salutandus est populus: septies enim hæc salutatio repetitur in Missa, videlicet post Introitum, ante Evangelium, ante Offertorium, in Præfatione, ante *Agnus Dei*, ubi dicitur, loco *Dominus vobiscum*, *Pax Domini sit semper vobiscum*, ante Postcommunionem et in fine Missæ.

Olim *Kyrie, eleison, Gloria in excelsis* et *Dominus vobiscum*, vel *Pax vobis*, dicebantur ad cornu epistolæ, quia non erat crux in medio altaris, et sic perrexerunt agere Carthusiani, Dominicani, Carmelitæ et episcopi solemniter celebrantes, qui suam sedem ad cornu epistolæ semper habere debent,

asserit *Græcolas*, t. 1, p. 475, obligationem audiendi Missam, a salutatione celebrantis incipere, et præcedentia non esse de præcepto; sed nullam dat rationem suæ assertionis.

12^o *Collectæ*. Post salutationem, celebrans se et assistentes ad orandum excitat, dicens, *Oremus*; apud Græcos diaconus dicit, *Oremus Dominum*: deinde celebrans dicit *Collectam*, sic probabilius appellatam quia prima est oratio quæ super populum collectum pronuntiatur. Usus sic orandi a traditione Apostolica descendit; devotissimæ enim *Collectæ* apud antiquissimos inveniuntur auctores, v. g., apud S. Clementem, in Epist. ad Cor., S. Polycarpum, S. Irenæum, Origenem, etc. Primitus celebrans orationes pro sua devotione vel necessitate componebat, sed concil. Milevitanum, in Africa, anni 416, decrevit ut deinceps nulla adhiberetur oratio in Missa, nisi prius in concilio episcoporum fuisset probata.

Pleræque orationes quibus nunc utimur in officiis et Missis de tempore, in Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii reperiuntur: credendum est igitur in conciliis fuisse probatas. Orationes autem quæ in officiis et Missis novis mysteriorum, sanctorum, etc., adhibentur, a diversis auctoribus compositæ fuerunt, et ab Ecclesia approbatæ, dum in calendario fuerunt adscriptæ.

In Missali Gelasii tres præscriptæ erant collectæ: S. Greg. eas reduxit ad unam. Numerus postea multum variavit, et nunc diversus est pro diversa Missarum qualitate, ut mox dicturi sumus.

Olim, statim atque celebrans dixerat *Oremus*, omnes genu flectebant ad vocem diaconi dicentis *Flectamus genua*, aliquo tempore secreto orabant; postea surgebant, dicente diacono *Levate*. Hodie hæc formula in solis diebus jejunii servatur: diaconus dicit *Flectamus genua*; subdiaconus, nulla interposita mora, subjungit *Levate*; qui stant genua flectere, et qui sunt genuflexi inclinari debent usque ad *per omnia* vel *qui tecum*, juxta *Merati*, t. 1. Communius tamen, ut notat *Romsée*, omnes statim surgunt. Deficiente diacono, ipse celebrans dicit *Flectamus genua*, et minister vel cantores, nomine totius populi, respondent *Levate*.

Olim celebrans objectum orationis populo annuntiabat, dicens: *Oremus, fratres charissimi*, v. g., *pro Ecclesia sancta Dei, ut eam Deus*, etc.; postea dictis *Oremus, Flectamus genua* et *Levate*, subjungebat orationem. Mos iste feria sexta Majoris Hebdomadæ servatur.

13^o *Epistola*. Apud Judæos officium publicum in sabbato incipiebat per lectionem librorum Moysis vel Prophetarum, ut patet ex Act. Apost. xiii, 15, et xv, 21. Primi Christiani hanc consuetudinem in cœtibus suis servaverunt; hunc ritum in ipsomet Ecclesiæ exordio adhiberi consuevisse testatur S. Justinus, Apol. 1. Hæc instructio, diebus dominicis et festivis, ex scriptis Apostolorum regulariter deducitur; in feriis, ex Veteri vel ex Novo Testamento; in feria quarta quatuor Temporum, una ex Veteri et altera ex Novo Testamento,

excepta feria quarta infra octavam Pentecostes; et in sabbatis quatuor Temporum, ad instructionem ordinandorum, quinque leguntur ex Veteri et ultima ex Novo Testamento.

Pars autem ista officii dicitur Epistola vel, apud quosdam auctores, Apostolus, quia ex Epistolis Apostolorum communiter deducitur. Intitulatur Lectio, quia olim non cantu, sed alta voce legebatur ab uno e lectoribus, in ecclesiae loco qui dictus est lectorium, vel lecturium, unde gallice *lutrîn*. Liber diversas lectiones per annum legendas continens, dictus est Lectionarius (liber), vel Lectionarium.

Apud Græcos diaconus legit vel cantat Epistolam; apud Latinos nunc subdiaconus eam in Missa solemniter cantat, et in ordinatione sua a decimo tertio sæculo, specialem ad hoc suscipit potestatem per libri Epistolarum traditionem. Ubi celebrans cantat Missam sine diacono et subdiacono, Rubrica Romana, tit. 6, n. 8, permittit ut lector, superpelliceo indutus, Epistolam in loco consueto cantet. Si desint subdiaconus et lector, celebrans ipse Epistolam cantat: eam vero ab alio cantatam (et generaliter quod cantatur) tam submisso dicere debet ut chorus vocem ejus non audiat; P. Le Brun, t. I.

14° *Graduale*. Ut instructioni jungatur oratio, post Epistolam cantatur psalmus vel quidam versus unius psalmi, et hæc portio officii dicta est Graduale, quia ad gradus pulpiti seu ambonis cantabatur.

15° *Alleluia*, vox hebræa significans jubilationes in laudando Deo, qui in alienam linguam accurate converti posse non visa est, et ideo in propria lingua servata est. Gradualibus subjungitur, et dicto versu, in fine ante Evangelium repetitur, excepto tempore a Septuagesima ad Pascha et Missis defunctorum. « Alleluia nobis cantare certo tempore solemniter moris est, secundum » Ecclesiae antiquam traditionem, » inquit S. Aug. in Ps. CVI (t. IV, col. 1204).

16° *Neuma*. Durandus alique liturgiæ interpretes

dicunt neuma, quæ est continuatio cantus sine articulatione, post *Alleluia* et antiphonas, significare tantam esse mentis jubilationem ut exprimi nequeat.

17° *Sequentia* seu *Prosa*. Neuma a quibusdam dicta est Sequentia, quia cantum *Alleluia* sequebatur. *Sequitur jubilatio, quam Sequentiam vocant*, inquit Ordo Romanus (*Biblioth. Patrum*, t. XIII, p. 658). (1)

Nonnulli supprimentes Neumam, substituerunt ei aliquos hymnos liberioris compositionis, similem ultimorum verborum habentes sonantiam: hujusmodi hymni dicti sunt Sequentiæ, quia sequebantur *Alleluia* et locum tenebant Neumæ: appellantur etiam Prosæ, quia non constant versibus proprie dictis.

Arbitratur *Græcolas*, t. I, p. 511, eas adhiberi incipisse in nono sæculo, pro magnis solemnitatibus primum existisse; deinde ita multiplicatas fuisse ut unaquæque Missa propriam haberet Prosam, excepto tempore a Septuagesima ad Pascha. Multæ erant inconcinne et injucundæ: Carthusiani et Cistercienses eas e liturgiis suis expunxerunt et Missale Romanum quinque tantum servavit: *Victimæ paschali*, quæ tribuitur Notkero abbati, in nono sæculo; *Veni, sancte Spiritus*, quæ attributa est regi Roberto, vel probabilius Hermano Contracto, in undecimo sæculo; *Lauda, Sion*, quæ est S. Thomæ Aquinatis; *Dies iræ*, quæ a card. Frangipani, cognomento Malabranca, in decimo tertio sæculo, fuit composita. Hæc ultima, contra Prosarum institutionem, est tristis, et *Alleluia* non sequitur. Ejusdem generis est *Stabat mater*, a pluribus attributa Innocentio III, et a P. Wadding restituta Jacoponi, qui ex mundano factus est simplex frater Minor S. Francisci, in decimo tertio sæculo.

(1) Plures sunt Ordines Romani de divinis officiis celebrandis. Qui hic citatur, in octavo sæculo scriptus fuisse reputatur. Apud doctissimum Mabillon (*Museo Italico*) sexdecim recensentur Ordines Romani libelli vel libellorum fragmenta. Nonnulli hujusmodi libelli exhibentur ab ipso ut ascendentes usque ad S. Gregorii et forsitan S. Gelasii tempora. (*Comment. in Ord. Rom.*, p. VIII.)

Hæc recenter in Missale Romanum pro festo Septem Dolorum B. Mariæ Virginis fuit introducta.

18° *Tractus*. Quando non dicitur *Alleluia* post Graduale, cantatur Tractus, sic dictus a verbo trahere, quia tractim, id est, sine interruptione, vel lente et lugubriter, non ab omni choro, sed a solis cantoribus cantatur. Ex nonnullis alicujus psalmi versibus componitur, et aliquando ex psalmo integro, ut prima Dominica Quadragesimæ.

19° *Munda cor meum*. Dum oblationes fidelium, ante Offerterium, super altare, ad cornu Epistolæ deferebantur, liber ad aliud cornu erat deferendus: hinc mos illum sic adhuc transferendi ante Evangelium. Interea sacerdos dicit, *Munda cor meum*, etc., ad petendam gratiam verba Christi recte et sancte annuntiandi. Deinde petit benedictionem dicens, *Jube, Domine, benedicere*; dicit *Domine*, quia supremum Dominum cæli et terræ alloquitur; et non *Domne*, qui est titulus homini in dignitate constituto attributus: unde diaconus, benedictionem petens, sive a simplici sacerdote, sive ab episcopo, dicere non debet *Domine*, sed *Domne*, et ita quotiescumque benedictio ab homine petitur. Ipse summus Pontifex in Litanis vocatur dominus apostolicus, ut *domnum apostolicum*, etc.

20° *Evangelium*. Omnes liturgiæ cognite præscribunt Evangelium in qualibet Missa, voluntque illud non legi aut cantari sine pluribus cæremoniis venerationem spirantibus, maxime in solemnibus Missa, ut sunt, *Munda cor meum*, benedictio, thurificatio, etc. Sacerdos sic paratus, ad librum semiversus tantum, ut populum alloqui censeatur, salutem assistentes dicendo, *Dominus vobiscum*, librum, frontem suam, os et pectus signat, annuntiat Evangelium, nominans Evangelistam, et respondetur, *Gloria tibi, Domine*; quæ responsio jam usitata erat in octavo sæculo, ut ostendit *Romsée*.

Græci cum majori adhuc solemnitate ad cantandum Evangelium procedunt.

S. Cyprianus, Tertullianus, S. Justinus aliique antiqui

auctores testantur morem suo tempore existisse legendi Evangelium in Missa; et Eusebius, l. 2, cap. 14, dicit a B. Petro institutum esse ut Evangelium S. Marci in ecclesiis legeretur.

Finito Evangelio, olim respondebatur *Amen*, vel *Deo gratias*, aut *Laus tibi, Christe*: hæc ultima formula sola prævaluit. Statim celebrans, in signum devotionis erga verbum sanctum, prima verba Evangelii deosculatur, dicens: *Per evangelica dicta*, etc.

In Ordine Romano præscribitur crucis signum quo sacerdos et populus se olim muniebant post Evangelium, quia tunc finita erat Missa catechumenorum.

21° *Prædicatio*. Omni tempore mos fuit in Ecclesia ut pastores vel ab eis deputati sermonem ad populum haberent, post lectionem Scripturæ, id est, finito Evangelio: existentiam veteris hujus consuetudinis astruunt testimonia S. Justini, Apol. I, n. 67; Tertul., l. de Anima, cap. 9; S. Aug., Sermon. 176, etc.

Hæc prædicatio dicta vulgo *prône*, a verbo græco *πρόνας* significante primam navem ecclesiæ, quia in ea parte stabat populus sermonem auditorus, erat modo familiaris, et dicebatur Homilia, modo solemnior, et nomen retinebat Sermonis. In plures tamen non dividebatur partes, ut in posterioribus sæculis factum est, nec dicebatur *Ave, Maria*: hæc invocatio post exordium inserta est a decimo tertio vel decimo quarto sæculo tantum. *Gerson* eam continuo adhibuit in sermonibus quos, durante concilio Constantiensi, ad populum et clerum habuit.

Post prædicationem annuntiabantur præscriptiones Ecclesiæ, festa, jejunia, matrimonia, ordinationes, excommunicationes, ii omnes pro quibus Missæ sacrificium offerendum erat indicabantur, et quædam fiebant preces, sicut hodie in Gallia: hæc tamen apud nos fieri solent ante instructionem.

22° *Symbolum*. In primis Ecclesiæ temporibus, Symbolum non dicebatur in Missa: deinde semel in anno, die veneris in Parasceve, recitabatur ad instructionem cate-

chumenorum. Fertur Timotheum, episcopum Constanti-
nopolitanum, jussisse, anno 510, ut in omnibus ecclesiis
sibi subjectis, ad veram profitendam fidem contra hære-
ticos, in singulis collectis recitaretur. Inde mos illud sic
dicendi transiit in Hispaniam et in Gallias : concil. To-
let. III, anno 589, statuit ut per omnes ecclesias Hispa-
niæ et Galliæ, ante Orationem Dominicam, secundum
formam Orientalium ecclesiarum, recitaretur. Circa finem
octavi et initium noni sæculi, cœpit cantari in Gallia et
in Germania cum additione *Filioque*. Ordo Romanus II,
n. 11 (*Museo Italico*, t. II, p. 46), quem fertur octavo
sæculo scriptum fuisse, dicit Symbolum, dicto Evangelio,
ab episcopo inchoandum esse. Si ergo S. Henricus impe-
rator conquestus fuerit, anno 1014, illud Romæ non
cantari sicut in aliis ecclesiis, et si ad preces ejus Bene-
dictus VIII illud cantandum jusserit, intelligendum est,
aut antea fuisse tantum recitatum, aut morem illud can-
tandi desiisse.

Saltem ab eo tempore semper dicitur singulis diebus
dominicus, in festis mysteriorum Christi, B. Mariæ Vir-
ginis, sanctorum Apóstolorum, sanctorum doctorum, et
in quibusdam aliis solemnioribus festis.

Ab omnibus cantari debet tanquam publica omnium
professio, non agentibus organis, nec interposita musica,
nisi simplici, ut verba ab omnibus audiri possint. Vide
P. Le Brun, t. I.

23° *Offertorium*. Catechumeni præcedentibus orationi-
bus et instructionibus assistebant : iis absolutis, dimit-
tebantur, et tunc incipiebat Missa fidelium. Sacerdos, ver-
sus ad populum, eum salutabat per *Dominus vobiscum*, et
responso ejus accepto, dicebat *Oremus*, nihil addens ; om-
nes sub silentio orabant, dum fidelium oblationes acceptæ
in altare ponebantur. Tempore S. Aug. mos Carthaginem
introducitur, inde per totam Ecclesiam Latinam diffu-
sus est, ut hymni dicerentur de Psalmorum libro.
(S. Aug. *Retract.* l. 2, cap. 11 (t. I, col. 45). In Anti-
phonario S. Greg. notantur versus cantandi, quorum
primus erat antiphona quæ inter versus repetebatur do-

nec absolveretur oblatio : suppressa oblatione, omissi
sunt versus, et sola retenta est antiphona, nunc vocata
Offertorium.

Vestigium antiqui moris oblationes ad *Offertorium*
præsentandi remansit in ordinationibus, in episcoporum
consecratione, in abbatis et abbatissæ benedictione, et in
quibusdam locis, ad Missam pro defunctis. Dabatur os-
culum pacis iis qui oblationem suam præstabant : inde
usus præsentandi anulum deosculandum in ordinatio-
nibus. Quidam sacerdotes præsentabant populo aliquid
offerenti patenam osculandam : S. Pius V id prohibuit.
Apud quosdam est in usu deosculari rem offerendam et
manum celebrantis, quod Gavanto et *Merati* non videtur
inconveniens, modo id non fiat in Missis defunctorum,
et mulieres ab osculo manus celebrantis abstineant.

Eulogiæ, vulgo *pain bénit*, sunt etiam quoddam anti-
quarum oblationum vestigium : vetustissimi sunt usus,
tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia ; olim dis-
tribuebantur in fine Missæ, vice communionis sacra-
mentalibus, in signum unionis inter fideles. Nunc intra
Missam distribui solent, et communius in principio
Missæ offeruntur ac benedicuntur. Patena offerenti de-
osculanda præsentari non debet, sed crux aliave imago
sacra, exceptis Missis defunctorum.

24° Orationes *Suscipe... Offerimus... In spiritu humili-
tatis... et Veni, Sanctificator...* quasi de verbo ad ver-
bum in Missali Mozarabico inveniuntur : unde circa
finem undecimi sæculi in Missam Romanam transie-
runt. In duodecimo sæculo altera oratio, nempe *Suscipe,
sancta Trinitas*, quæ Mediolani et in pluribus Galliarum
ecclesiis antiquitus usitata erat, Missam Romanam si-
militer ingressa est. Antea nulla fiebat oratio super
oblata usque ad Secretam.

25° *Deus qui humanæ*. Hæc oratio in Sacramentario
S. Greg. pro die Natalis Domini invenitur, exceptis his
verbis, *per hujus aquæ et vini mysterium*, et in Missa ab
Illyrico data ; sed in Ordine Romano ante sæculum de-
cimam quartam non reperitur. Dicenda est benedicendo
aquam vino immiscendam.

26° *Lavabo*, etc. Antiquissimi est usus lavare manus sub Missa, sed mos eas, oblatione facta, lavandi, dicendo, *Lavabo manus meas*, etc., non ascendit ultra decimum quartum sæculum, et non fuit generaliter receptus in Ecclesia Latina ante decimum quintum sæculum. Ita *Romsée*, t. iv. Sed in Missa S. Chrysost. apud *Goar*, lotio et *lavabo* in extenso sicut apud nos præscribuntur in initio Missæ, in Ordine Romano VI, n. 9 (*Mus. Ital.* t. II, p. 74), statuitur ut episcopus sedeat, duo acolythi genuflectentes sinum ejus manutergio cooperiant, et tertius, aquam administraturus, in medio eorum genuflectat. Hinc actum est ut qui dat aquam episcopo ad lavandum, adhuc genuflectat. A nono sæculo manuum lotio fieri solet post oblationem et incensationem; P. *Le Brun*, t. 1.

27° *Orate, fratres*. Post lotionem, dicta oratione *Suscipe, sancta Trinitas*, de qua supra, celebrans versus ad populum hortatur eum ad orandum, dicens media voce, *Orate, fratres*, etc. Olim dicebatur tantum *Orate*, ut in Ordine Romano II, n. 9, habetur, et assistentes nihil respondentes secreto orabant. In Ordine Romano VI, n. 10, legitur *Orate pro me*, et in Missa Illyrici, quæ est saltem decimi sæculi, legitur: *Orate pro me peccatore, fratres et sorores, ut meum et vestrum*, etc. *Marlène*, t. 1. Legitur etiam responsio, *Suscipiat*, etc. Attamen hujus petitionis et responsionis usus non fuit communis, donec in Missali Romano adoptatus fuerit, anno 1551. Carthusiani et Cistercienses eum adhuc non sequuntur.

28° *Secreta*. Quidam volunt hanc orationem dici Secretam a verbo *secerno*, quia super oblationes consecrandas et non super alias pronuntiat; sed multo communius et probabilius docetur eam sic vocari, quia secreto dicenda est; tum quia cantus Offertorii usque ad Præfationem sæpe protrahitur; tum ut celebrans magis sit recollectus: non præmittitur *Oremus*, quia ante Offertorium dictus est, et aliunde populus ad orandum sufficienter invitatur per *Orate, fratres*. Hæc oratio ejusdem est antiquitatis ac Collecta, et in Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii exprimitur tanquam super oblationes dicenda. Si plures sint, sacerdos primam concludendo,

sibimetipsi respondet *Amen*. In ultima autem conclusione, quasi divino amore flagrans, in altam vocem erumpit, dicens vel cantans *Per omnia sæcula sæculorum*: et omnis populus accinit dicens: *Amen*. Verba ista, propter cantum, Præfationi junguntur et reipsa tamen ad Secretam pertinent.

29° *Præfatio*. Præfatio idem significat ac prælocutio, et adhibetur ut celebrantis et assistentium mentes ad choros Angelorum erigantur, et ad tremenda quæ perficienda sunt mysteria præparentur. Antiquissimæ est institutionis, siquidem inveniuntur præfationes fere singulis Missis propriæ in Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii; antiquiores auctores eas commemorant ut consuetas, v. g., auctor Constit. Apostol., l. 8, cap. 16. S. Cypr., l. de Orat. Domin. « Sacerdos ante orationem, Præfatione » præmissa, parat fratrum mentes dicendo, *Sursum » corda*; ut dum respondet plebs, *Habemus ad Dominum,* » admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare » debere. » Reperiuntur in omnibus liturgiis tum Orientalibus, tum Occidentalibus: ab ipsis ergo Apostolis vel ab Apostolicis viris fuerunt instituta.

In decimo vel undecimo sæculo numerus Præfationum ad novem fuit reductus, nempe pro Pascha, Ascensione, Pentecoste, Natali Domini et Epiphania, pro festis Apostolorum, pro sanctissima Trinitate, pro Quadragesima et Passione; Concilium Londinense, anno 1175 celebratum, cæteras prohibuit, et has novem dicendas statuit; eis addita est communis quæ est antiquior, et postea præfatio B. Virginis Mariæ, quæ Urbano II, in fine undecimi sæculi, tribuitur: tales sunt Præfationes quæ in Missali Romano reperiuntur, cui, propter S. Pii V prohibitionem, novæ addi nequeunt absque summi Pontificis speciali concessionione.

30° *Sanctus*, etc., est hymnus adorationis, ex Isai. vi, 3, et Apoc. iv, 8, eductus, qui est publica fidei in sanctissimam Trinitatem professio: vocatur *trisagium*, a verbo græco Τρισάγιος, *ter sanctus*, quod est nomen Deo proprium. In cunctis et antiquissimis liturgiis Latinis, Græcis, Syriacis, etc., invenitur. Olim ab omnibus incli-

natis, alta voce dicebatur vel cantabatur : ideo sacerdos, eum dicendo, nunc profunde se in signum adorationis inclinat. Subsequitur versus jubilationis, *Benedictus*, quem dicens sacerdos se erigit et signat : Missale Fratrum Prædicatorum præscribit ut omnes qui sunt in choro pariter se signent ad *Benedictus*.

Hosanna est vox hebræa acclamationis, significans : Salva, quæso, vel simpliciter salus ; sensus igitur est : Salus illi qui habitat in excelsis. Vox illa in propria lingua servata est sicut, *amen* et *alleluia*, quia perfecte converti non potest.

Dum cantatur vel dicitur *Sanctus*, pulsatur campanula, ut moneantur fideles majorem adhibendam esse attentionem. Ita communiter recentiores liturgistæ.

31^o *Canon Missæ*. Vox græca *Κανὼν* proprie significat arundinem rectam qua, velut regula, sæpe utuntur artifices ad aliquid metiendum : per metaphoram adhibita est in conciliis, ad exprimendum fidei articulum ita statutum ut sit immutabilis, et in liturgia ad designandam eam Missæ partem quæ consecrationem sub utraque specie continet, et variari non debet. Incipit a *Te igitur*, et terminatur immediate ante Orationem Dominicam. Vocatus est Canon, Preces, Oratio, Textus canonicæ precis, et a multis dictus est Actio ; qua voce utitur Missale Romanum indicando *Communicantes* ; dicit quippe, *infra Actionem*.

Canon Missæ prout eum habemus, in Sacramentario S. Gregorii reperitur : excepto quod in oratione *Communicantes* plura sint nomina sanctorum : ab eo tempore igitur fuit invariabilis. A quo fuerit compositus, non convenit inter doctores : S. Isidorus eum tribuit B. Petro ; S. Greg. dicit factum fuisse a Scholastico, quem aliter non nominat. Sed Concil. Trid., sess. 22, cap. 4, de illo hæc habet : « Is enim constat cum ex ipsis Domini » verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque pontificum piis institutionibus. » Diversos ergo habuit auctores, et in diversis temporibus fuit conditus.

Idem non erat Canon in veteribus Ecclesiæ Gallicanæ

liturgiis, nec unicus, sed proprius et brevissimus ad singulas Missas, ut refert *Martène*, t. 1.

32^o *Te igitur*. In ea oratione, quæ fit cum signis crucis super oblata, oratur specialiter et nominatim, 1^o pro Papa sedem Petri tunc occupante, qui nominatur : hæc consuetudo est antiquissima, et diu in Ecclesia Græca sicut in Latina existit. Notatur in Historia ecclesiastica ut factum gravissimi momenti, quod Dioscorus, Alexandrinus patriarcha, nomen S. Leonis papæ e sacris dyptichis tollere ausus fuerit, anno 449. Alia facta similiter demonstrant in Orientalibus Ecclesiis usum primitas existisse Papam in Missa nominandi. Apud Latinos, concil. Vasionense, in Gallia, anno 529, jussit ut nomen *Papæ, quicumque Apostolicæ sedi præfuerit, in ecclesiis nostris recitetur* (cap. 4). 2^o Pro episcopo diæcesis in qua celebratur : hoc in omnibus Sacramentariis et liturgiis reperitur. 3^o Græci semper hic nominaverunt imperatorem ; pleræque Latinæ ecclesiæ, ex apostolica traditione, nominant regem cui subjiciuntur ; volebat enim B. Paulus, I Tim. II, ut fierent orationes *pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt*. Verba *pro rege nostro N.* reperiuntur in Sacramentario S. Greg. ; suppressa sunt in Missali Romano, edito Romæ sub Pio V, anno 1570, et sub Clemente XIII, anno 1604, forte quia Ecclesiæ Status ecclesiastico regi a Papa diverso non subjiciuntur : reperiuntur vero in eodem Missali ad usum ecclesiarum Galliæ et Hispaniæ impresso. *Romsée* testatur, t. IV, nomen regis exprimi in Hispaniis ex concessione S. Pii V, et in Galliis ex inveterata consuetudine. Extra hos casus, nomen alterius personæ, cujuscumque gradus aut dignitatis, hic absque indulto pontificio exprimere non licet.

33^o *Memento* (pro vivis). In ea oratione, post verba *famulorum famularumque tuarum*, nomina eorum pro quibus specialiter orandum erat, alta voce legebantur a sacerdote in Missa privata, et a diacono vel subdiacono in Missa solemni, juxta P. *Martène*, t. 1. Hic usus adhuc vigeat in undecimo sæculo, ut colligi potest ex Micrologo, cap. 15 (*Biblioth. Patrum*, t. XVIII, pag. 473).

Nota. Micrologus est libellus cui titulus : *De ecclesiasticis Observationibus*, in 62 capita divisus. Illius auctor, qui est incertus, tempore S. Gregorii VII scribebat, ut ipse testatur cap. 14.

Sed paulo post totaliter fuit extinctus, propter abusus : plures enim dona offerebant ex vanitate, ut nomina eorum publice legerentur ; et qui non nominabantur, id ægre ferebant. Ideo præscripsit Ecclesia ut commendatio fieret secreto ; ne necesse quidem est ut nomina voce articulata exprimantur, et vocibus, *qui tibi offerunt*, quæ solæ dicebantur, additæ sunt voces, *pro quibus tibi offerimus, vel*, etc. Particula *vel* est conjunctiva pro *et*, non vero disjunctiva.

34° *Diptycha.* Hoc verbum a vocibus græcis *δισ*, *bis*, et *πτυχῶν*, *plica*, veniens, significabat tabellam his plicatam, ita ut tres columnas exhiberet lectori. In prima, scripta erant nomina episcoporum qui eam ecclesiam rexerant et sanctis moribus claruerant ; in secunda, nomina personarum adhuc viventium, dignitate vel beneficiis ecclesiæ collatis conspicuarum, nempe Romani pontificis, proprii antistitis, principis, magistratum, eorum qui oblationibus ad sacrificium concurrebant, et quandoque conciliorum generalium ; in tertia, nomina eorum qui in fide catholica decesserant. Prima columna dicebatur diptychum sanctorum ; secunda, diptychum viventium, et tertia diptychum mortuorum. Omnia hæc nomina publice legebantur, et idcirco oratio *Memento* vocabatur oratio super diptycha.

Qui in diptycho sanctorum intra Missæ Canonem legendo inscripti erant, dicebantur canonizati : hinc nomen Canonizationis adhuc existens pro alicujus in fastis sanctorum inscriptione.

Quædam veterum diptychorum vestigia in Canone nostro remanent, ut notat *Romsée*, t. iv ; in *Memento* quippe vivorum litteræ N. et N. locum tenent nominum quæ olim alta voce legebantur, et quæ nunc vel secreto vel sola mente referuntur. In orationibus *Communicantes* et *Nobis quoque peccatoribus*, est imago diptychi sanctorum,

et *Memento* defunctorum supplet tabellam in qua scripta erant nomina mortuorum. Litteræ N. et N. nunc inutilis, cum negligantur, et oratio pro mortuis quæ fit tantum post verba *in somno pacis*, sunt testimonium antiquitatis.

35° *Communicantes.* Hæc oratio inscribitur *infra Actionem*, quia intra Canonem, qui est actio Sacrificii, dicitur : vox *Communicantes* exprimit communionem, seu unionem communem cum sanctis in cælo regnantibus, quorum memoria veneratur, et simul cum fidelibus in terra viventibus. Nominantur B. Virgo Maria, duodecim Apostoli et duodecim Martyres ; nulli vero confessores : unde concluditur hanc Canonis partem, quæ integra est apud S. Greg., scriptam fuisse antequam alii sancti Albo sanctorum solemniter adscriberentur.

In Ecclesia tum Græca tum Latina, mos olim fuit ut sanctus cujus agebatur festum hic nominaretur : hæc institutio tribuitur Gregorio III. In nonnullis veteribus Sacramentariis, post nomina SS. Cosmæ et Damiani, inveniuntur nomina quorundam aliorum sanctorum, v. g., SS. Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Ambrosii, Benedicti, Isidori.

In Missali Romano speciales sunt *Communicantes* pro feria quinta in Cæna Domini, et pro quinque solemnioribus festis, nempe Nativitate Domini, Epiphania, Pascha, Ascensione et Pentecoste.

36° *Hanc igitur.* Ante decimum quintum sæculum celebrans, hanc dicendo orationem, manus extensas habere pergebat : nunc vero, a trecentis circiter annis, eas super oblata tenet expansas, sicut veteris Legis sacerdotes illas super victimam ponebant, ad proprias vel alienas iniquitates in eam transferendas. Hæc oratio est in Sacramentario S. Greg. et in aliis veteribus.

37° *Quam oblationem.* Hæc oratio reperitur in Sacramentariis S. Greg., S. Gelasii et in aliis, cum paucis varietatibus circa cruces. De illa nihil ultra dicemus, neque de verbis consecrationis, quia in prima parte hujus Tractatus, ubi de forma Eucharistiæ, de illis sufficienter egimus.

38° *Elevatio hostiæ et calicis.* In omnibus liturgiis mos semper fuit corpus et sanguinem Domini post consecrationem adorare, sed idem non semper fuit modus. Usque ad sæculum undecimum omnes ab initio Canonis inclinabant se, supremam adorantes majestatem; sic perseverabant usque post Orationem Dominicam: tunc aliquantula fiebat elevatio hostiæ cum calice, sicut hodie, dicendo, *Omnis honor et gloria, vel Per omnia sæcula sæculorum*, ut habetur in Micrologo, cap. 17.

In undecimo sæculo, quando insurrexerunt Berengarii, incœpit consuetudo quæ postea formata est in Gallia, in Germania et Romæ, hostiam et calicem, post consecrationem, separatim elevandi, et tintinnabulum ter pulsandi, ut omnes, vel genuflexi, vel facie in terram prostrati usque ad *Pater*, sacras species adorarent. Nihilominus calix et hostia, ante *Pater*, ad verba *Omnis honor et gloria*, paulatim elevantur, et tintinnabulum denuo agitur, ut iterum adorentur: est parva elevatio.

Apud Græcos immediate ante communionem elevatur hostia ut adoretur: diaconus clamat: *Attendamus*, et celebrans respondet: *Sancta sanctis*. Sic populus ut ad sacram synaxim cum debita reverentia accedat mœnetur.

39° *Unde et memores.* Carthusiani, Carmelitæ et Dominicani hanc orationem dicunt manibus seu brachiis in forma crucis extensis, ut memoriam passionis Christi verius expriment: id olim in pluribus Galliæ ecclesiis similiter fiebat, et nunc fit Lugduni, Senonibus, etc. Ille ritus Romæ non fuit acceptus.

40° *Supra quæ propitio.* Hæc oratio est antiquissima, cum non tantum, sicut præcedens et sequens, in Sacramento S. Gregorii inveniantur, sed in liturgiis SS. Petri et Basilii, quoad substantiam: attamen ultima verba, *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, tribuuntur S. Leoni, in quinto sæculo sedem Apostolicam tenenti.

41° *Supplices.* In Ordine Romano XIV (*Museo italico*, t. II, p. 305), præscribitur ut celebrans hanc dicendo orationem se inclinet et habeat brachia in modum crucis posita, ita quod dextrum brachium sit supra sinistrum,

ut in multis Missalibus antiquis legitur: quidam regulares, nempe Carmelitæ et Prædicatores seu Dominicani, sic agunt. Verum, his exceptis, omnes, manibus junctis et in altare positis, profunde se inclinant, dicentes: *Supplices te rogamus*, etc.

42° *Memento pro defunctis.* In ea oratione, ut jam monuimus, loco litterarum N. et N. nominabantur mortui pro quibus specialiter orandum erat. Antiquissima est praxis Ecclesiæ sacrificium Missæ pro animabus defunctorum offerendi et eas commendandi, ut constat exemplis a nobis superius allatis. Nunc mortui pro quibus Missæ sacrificium offertur nominari non solent, et litteræ N. et N. in nonnullis Missalibus supprimuntur.

Apud quosdam Orientales, nempe Syros, Maronitas, Æthiopes et Alexandrinos, B. Virgo Maria nominatur in *Memento* defunctorum, ex errore; quia hi populi, licet Virginem Mariam sanctam putent eamque invocent, persuasum habent eam cum animabus sanctorum in paradiso terrestri usque ad diem resurrectionis detineri: orant igitur pro futura ejus glorificatione. Sic pariter SS. Hilarius, Martinus et Athanasius in Missali Mozarabico commendantur, non ut a pœnis purgatorii liberentur, sed ut quoddam gloriæ accidentaliter augmentum obtineant, vel ad gratias Deo pro beneficiis eis collatis agendas; card. *Bona*, l. 2, cap. 14, n. 4.

43° *Nobis quoque peccatoribus.* Post defunctorum commendationem conveniens est ut celebrans pro se et pro aliis viventibus deprecetur; se aliosque peccatores esse confitetur, pectus in signum doloris sicut Publicanus tundit, et vocem elevat, ut adstantes ad dolorem et tusionem pectoris excitet. Microiogus dicit, cap. 17, ad prædicta verba vocem esse elevandam, et Innocentius III, l. 5 *Mysteriorum* Missæ, docet pectus esse tundendum, ad repræsentandam contritionem et confessionem latronis in cruce.

Verba, *Per quem hæc omnia creas*, etc., Canonem missæ terminant; hic ex antiquis Missalibus et liturgiis, ut probat card. *Bona*, l. 2, cap. 14, n. 5, celebrans

novos fructus et alia quaelibet usibus humanis destinata, v. g., legumina, mel, lac, carnes, poma, uvae, etc., benedicere consueverat, et formam benedictionis clausula solita terminans, *Per Dominum nostrum Jesum Christum, addebat per quem, etc.*

Hic feria V in Cæna Domini oleum infirmorum episcopus benedicit, et Papa agnum paschalem.

44^o *Oratio Dominica.* In omnibus liturgiis, etiam vetustissimis, Orientalibus et Occidentalibus, semper dicta est Oratio Dominica ante communionem: unde merito concluditur hanc praxim institutionis esse Apostolicæ. Brevis præfatio ad excitandam celebrantis et fidelium attentionem idonea, Orationem Dominicam antecedit.

Olim pluribus in locis, et nunc etiam apud Græcos, populus Orationem Dominicam sicut Symbolum fidei canebat; mos semper fuit Romæ ut solus celebrans prædictam orationem diceret vel cantaret: sed populus ultimam pronuntiabat petitionem: ideo nunc minister vel cantores dicunt alta voce: *Sed libera nos a malo*, et sacerdos secreto respondet: *Amen*.

Interea patena a subdiacono, deinde a diacono elevata, populo ostenditur, ut qui communicandi sunt se præparent et accedant. In Ecclesia Romana et in pluribus aliis, v. g., in Senonensi, in Claromontana, etc., hæc cæremonia omittitur ut pote nunc inutilis.

45^o *Libera nos, quæsumus.* In quibusdam antiquissimis Sacramentariis sacerdos, post Orationem Dominicam, non respondet *Amen*, sed immediate dicit: *Libera nos*, etc.; sumpta patena vel a diacono accepta, eam subtus hostiam ponit. Post invocationem S. Andreae invenitur S. Stephanus in Sacramentario S. Gregorii, et P. Menard, n. 87, asserit olim licuisse sacerdoti quoslibet sanctos, pro sua devotione, hic addere, quod certe nunc illicitum est.

46^o *Fractio hostiæ.* Ritus frangendi et dividendi hostiam tam antiquus est quam ipsum Sacrificium: Christus fregit panem, et in fractione panis, post suam resurrectionem, duobus discipulis se manifestavit; Apostoli erant

perseverantes in orationibus et fractione panis. Successores eorum idem fecerunt et mos ille nunquam desiit. Hæc autem divisio hostiæ cultro aliove instrumento nunquam peracta est, sed more Christi et Apostolorum per fractionem manibus factam.

Hostia apud Græcos in novem rumpebatur partes, in memoriam Christi et sanctorum; in ritu Mozarabico etiam in novem, in memoriam novem mysteriorum Christi. Nunc Græci eam in quatuor dividunt partes, ut videre est apud *Goar*: una pars immittitur in calicem; secundam sumit celebrans, tertiam dividit in communionem populi, et quartam pro infirmis reservat.

Ex Micrologo, cap. 17, hostia in tres dividenda erat partes, quarum una immittebatur in calicem, alia ad communionem celebrantis inserviebat, et tertia in communionem populi et infirmorum subdividenda erat. Ad memoriam veteris hujus consuetudinis, in consecratione episcopi, consecrans unam partem hostiæ a se consecratæ immittit in calicem, secundam sumit et tertiam episcopo consecrato tribuit.

Quo tempore autem celebrans totam hostiam sibi reservare incæperit non constat: morem veterem adhuc viguisse in undecimo sæculo colligitur ex Micrologo. Verum ab illo tempore, sacerdotibus et Missis privatis admodum multiplicatis, usus de hostia celebrantis communicandi penitus cessavit; et Durandus, in decimo tertio sæculo scribens, loquitur de more nostro communicandi in Missa tanquam in omni Ecclesia Latina recepto; *Rationale div. off.*, lib. 4, cap. 51, n. 1 et seq.

Pro fidelium et infirmorum communionem minores formulæ consecrantur et in ciborio reservantur: in casu necessitatis, nihil vetat quominus pars hostiæ sacerdoti destinatæ ad dandum viaticum periclitanti reservetur.

47^o *Commixtio specierum.* Ex Constitutionibus summorum Pontificum Melchiadis, Siricii et Innocentii I, apud *Constant*, patet antiquum exstitisse usum ut Papa et alii Italiæ episcopi aliquas portiones hostiæ a se consecratæ singulis diebus dominicis ad presbyteros titulares